



CARMEN LVGVBRE,
quod in justis exsequiarum
MATRONÆ FLORENTISSIMÆ atque EGRE-
GIIS CORVSCÆ VIRTVTIBVS
MARIÆ CATHARINÆ


STRYKIAE,
Natae ALEXANDRÆ,

Amplissimo genere,
VIRI NOBILISSIMI CONSULTISSI-
MI atq; EXCELLENTISSIMI
DN. JOHANNIS SAMVELIS
STRYKII.

J. V. Doct. ac Professoris Publici Ordinarii
in Illustri Fridericiana Celeberrimi,
CONJVGIS DESIDERATISSIMÆ
XXII die exeuntis Novembris
PLACIDE VITA DEFVNCTÆ,
& ejusdem XXVI.

Exquisitis ceremoniis domitorio suo
IN ACADEMIAE TEMPLO ILLATAE,
Ea, qua par est, observantia animique pietate,
communem tristi acerboque casu dolorem
publicis monumentis contestaturi
Lugentes exhibuerunt

CONVICTORES HENNINGIANI.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS VIDUÆ SALSFIELDIANÆ.





ELEGIA.





Lebilis ut noster status est, ita flebile carmen,
Materia scripto conveniente suo.
Scilicet hic lacrimis color est ac luctibus aptus,
hic habitus mæsti pectoris esse solet.
Lætaque turbatis adimunt sua ferta capillis,
Quos studium cunctos evigilavit idem.
Ora madent lacrimis, atris in vestibus omnes,
Interiora tamen signa doloris habent.
Inquiras causam luctus tantique doloris?
Non fastiditus si tibi, Lector, ero ;
Da veniam, paucis exponam singula verbis,
Versibus incomitis tristitia quæque canam !
Illa sui quondam decus ordinis, atque mariti
Portio, quæ vitæ dimidiumque fuit :
STRYKIA, quæ clarum debet genitoribus ortum,
Conjux præclari nominis illa Viro,
Occidit, ingeminant: satis est, neque pluribus utar,
Singultu medios impediante sonos.
Femina seu princeps sanctis virtutibus, atque
Quam decet exemplum Conjugis esse bonæ.
Assimilesque sui vel consuetudine cunctas
Sic fieri (liceat dissimulare) decet.
Nam vel natales, vel mores forte requiras,
Vel studium vitæ si brevioris, habes
Quæ deceant Nostram, moneantque addiscere demum
Quid sit, & egregium magnificentumque foret.
Cum facie mores felix natura pudicos,
Et raras dotes ingeniumque dedit,
Non satis ergo putat, laudem pietatis habere,
Aut animum scriptis erudiisse sacris :
Sed simul hanc etiam curam studiumque requiri,
Ut vita mores exprimat illa probos.

Hoc

Hoc est, quod diligens olim moderatio fecit,
 Primus ut infideat religionis amor.
 Atque exempla piis relegens imitanda, probavit,
 Semper inoblita mente tenere capax.
 Crevit ita in tenero pietas sanctissima corde,
 Docta sed a primo lacte timere Deum.
 Quo semel est imbuta recens servabit odorem
 Testa diu, sapiens ut bene Flaccus ait.
 Notitiaque DEI patrimonia nulla parentes
 Rellinquant natis utiliora suis.
 Spectatae laudis, Lector, documenta probarunt,
 Quantus in hac sane sit pietatis amor.
 Ne famam minuat, docet experientia testis,
 Hæc quanto studio sit venerata virum.
 Quam sit pacis amans, & amet quoque pacis amantes,
 Casta torum servet religiosa suum.
 Vfus amicitiae, sibi quæ cum conjugè, quamvis
 Sit brevis ac lustrum non superarit idem;
 Hæc amplexa suum tamen est in amore Maritum
 Suaviter, ut nunquam dissimulare queat.
 Dilectos etiam coluit vehementer amicos,
 Auxilioque fuit, quos sibi junxit amor.
 Sive premi præter meritum cognoverit ullos,
 Qua potuit miseros parte juvare, juvat.
 Officiis inopes tutata est denique cunctos,
 Qui nostræ fidei vel regionis erant.
 Omnibus his opera studuit prodesse benigna,
 Hinc mercede sua non caritura fuit.
 Fallor? an hæc pietas tanta est infixæ Mariti
 Pectoribus, radios inter utrumque gerens?
 Multaque credibili fecit majora; dolorem
 Sustinet hinc pectus, mœstitiâque caput.
 Ac tristes etiam simul has e pectore voces
 Ad quem mittuntur jam finit ire Deum:
*Tu castos inter cœtus, animasque piorum
 Ætheris in pura luce beatus agis.
 Vnigenumque DEVM, Majestatemque verendam
 Adspicis, æternis perfrueris que bonis,
 Non illic morbi, non ærumnosa senectus
 Expectanda, Locum possidet alta quies.
 Nunc citharæ, cantusque sonant, animasq; piorum
 Ipsius e vitæ fonte perenne bibunt.
 Æternique Patris mens & sapientia CHRISTVS
 Feruida divino lumine corda rigat.
 Dividor haud aliter tamen, ac si membra relinquam,
 Et pars abrumpi corpore visa suo est.
 Vita tamen TIBI nota mea est, scis moribus illis
 Quos ego aversabar, me abstinuisse simul.
 Acta DEVM nunquam fallunt mortalia! Scimus
 Vita quod extinctis detur in axe poli.
 At brevis hæc nimium ventisque fugacior ipsis
 Transit, & exiguo tempore nostra manet.*

Ac velut in cœna paucas ubi sedimus horas
Surgimus, itque suam quilibet inde domum:
Sic & in hac vita lætho divellimur atro,
Vincula conjugij cum modo nexa forent.
Fato junguntur, fato solvuntur amores:
Est ita; sic fato constituyente DEI.
Hoc etiam doluit Conjux, ubi mœsta dolorem
Predicens, qui sit forte futurus, ait:
Hoc licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
Ambobus sane sic bene semper erit.
Namque solet nimium pars derelicta moveri,
Cum nobis aufert, quod dedit ante, DEVS.
Inno intelligimus miseri bona denique nostra,
Cum jam perdidimus, quod fuit ante, bonum.
Hactenus ex animi videor mentisque recessu
Dixisse alterius nunc mea verba dabo.
At nihil hinc superest, nisi reddere vota precesque,
Promere conceptas carmine reddo libens.
Quod prius ut fiat, lubeat de more vetusto,
(Posteritas quo sit certior ulla modo)
Scribere, quæ tumulo sint insigenda, supremo
Quilibet officio sic bene functus abit.
Quisquis es, & quacunque venis regione, sacrorum
Sine sit Antistes, vel studiosus homo:
Sive aliquod morum, seu vitæ labe carentis
Constituas pretium; suspice, nostra legens:
Conditur hoc tumulo, quam sponsam STRYKIUS olim
Duxerat, ac sponsi Lumen & illa decus.
STRYKIA, cui terris felicia fata dedere
Virtutis fama vivere, mente polis.
Exuvias alii claudant cineresque sepulchris,
Virtus ecce sibi construit ipsa domum.
Templaque constituit, divinis usibus apta,
Quo major laudis conspiciatur honos.
Ecquis autem lacrimis modus est statuendus, Amici,
STRYKIUS huic similem vix habiturus erit?
Inde timore pari veneramur Numina cœli,
Præstet ut in tantis gaudia læta malis.
STRYKIUS in terris felix agat, usque merendo
Nominis ac famæ concilietur honos.
Lætaque concedat posthinc sibi tempora, demat
Quicquid obesse queat, qui regit omne, deus.
Sit saluum cunctis etiam spectabile nomen,
Illustris meritis ac pietate senex.
Collegiique sui Præses venerabilis, ornet
Collustretque suam, qua patet usque, domum,
Latius atque jubar divinæ lumina mentis
Dispergant, vivi nomen ad astra ferant.
Insignem capiunt simul hinc Academica tempe
Splendorem, laudem perpetuumque decus.

 (O)  (O) 



CARMEN LVGVBRE,
quod in justis exsequiarum
MATRONÆ FLORENTISSIMÆ atque EGRE-
GIIS CORVSCÆ VIRTVTIBVS

MARIÆ CA... NÆ

STRY

Natae ALE... Æ,

Amplif
VIRI NOBILISSI...
MI atq; EXC

DN. JOHANNI... ELIS

STR

J. V. Doct. ac Prof... arii

CONJVGIS DE... IMÆ

XXII die e...
PLACIDE VI...
& eju

Exquisitis cere
IN ACADEMIAE... T AE,

Ea, qua par est, ol...
communem trif
publicis monu

Luger...
CONVICTOR... NI.

Decorative flourish

HALÆ MA...
LITERIS VIDUÆ Salfeldianæ.

